



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

VIII. Ne mendicantes admittantur sine dioecesanorum licentia &
testimonio literarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

tum Concilii generalis. Et licet alias super his
tam a viris , quam a legatis sedis apostolicæ , quam
etiam a nostris prædecessoribus satis utiliter sit pro-
uisum : Nos vero repetitis eorum constitutioni-
bus , volentes expressius prouidere , vniuersis cu-
stodibus, sacristis, ecclesiarum rectoribus præcipi-
mus , quatenus omnia vestimenta , ornamenta &
vasa supradiæta , per ipsos munda & nitida , & præ-
cipue ecclesiastica sacramenta sub clausura & fida
custodia conseruentur. Si quis vero in transgres-
sione huiusmodi statuti culpabilis fuerit , vsque ad
condignam satisfactionem ab officio suspenda-
tur.

VIII.

Quia religiosos, præcipue fratres mendicantes, decet puritatem omnimodam in suis actibus obseruare; quoniam tamen sæpe diuagandi & dissolutionis materiam mutuantur, scandalum aliorum, & tamquam pseudoprophetæ fabulosis prædicationibus audientium animos plerumque seducunt; & quamquam inuitis ipsarum ecclesiarum rectoribus, ipsi fratres, nisi per eosdem rectores vocati vel inuitati ad hoc fuerint, de iure non audeant nec debeant prædicare: volumus tamen, quod nequaquam dicti rectores ipsos inuitent vel admittant, nisi de proponendo verbum Dei a suis superioribus licentiam habeant, & de illa sæpe dictis rectoribus faciant plenam fidem. In ciuitatibus vero & dioecesi, in quibus ipsorum fratrum loca consistunt, ac in locis vicinis, nullatenus ad dictum officium prædicandi, vel ad audiendas confessio-

URBANVS SALTZBURGENSE. VVENCESLAVS IMP. 155
P.VI.

ANNO CHRISTI 1386.
nes admittantur , nisi * locis dicecesanis canonice
præsentati fuerint prius & admissi.
* f. loco-
rum

I X.

Cum ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ , ac res ipsorum non solum iure ciuili , quinimo & canonicō & diuino, sæcularium personarum talliis , collectis & exactionibus sint immunes , nonnulli tamē ecclesiasticæ libertatis & immunitatis æmuli , huiusmodi libertatem offendere moluntur. Nos igitur ipsorum ausus , quantum possumus , reprimere cupientes , statutum domini Ioannis episcopi Tusculani , apostolicæ sedis legati , qui inuasores & occupatores & detentores ecclesiasticorum bonorum , vel dantes in his auxilium , consilium , vel fauorem , si postquam per ecclesiarum prælatos vel rectores requisiti fuerint , infra mensem non destiterint , vel de damnis datis non satisfecerint , extunc subiicit ecclesiastico interdicto , ad huiusmodi exæctores , collectores & tallicitores declaramus extendi , vt extendimus sanctionem præsentem , omnibus ecclesiarum prælatis & rectoribus , sub excommunicationis pœna , districte præcipientes , quatenus huiusmodi statuta inuiolabiliter obseruent , ac nihilo minus singulis annis ter in suis ecclesiis fideli populo studeant publicare.

X.

Multi in profundum malorum venientes , adeo ecclesiæ claves & ecclesiasticæ censuræ sententias vilipendendo contemnunt , quod tam incorrigibiles plerique talium facti in suæ damnatio-

Concil. Tom. 29.

V ij